№ 1 7/1819.

9/

F. Klaussbergen

Klaussberg

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRI NERVOSA
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN

ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

publicae disquisitioni submittit

Ferdinandus Klausberger,

Illyrus Tergestinus.

Theses adnexae defendentur in Universitatis aedibus

die *Mensis Julii* 1835.

Vindobonae,

Typis Francisci Ludwig.

Seinem größten

Freunde und Wohlthäter

dem

Herrn Herrn

Nikolaus Recher,

bürgerlichen

Großhändler in Laibach,

widmet diese

Blätter als schwaches Denkmahl seiner innigsten

Hochachtung, Liebe und Dankbarkeit

der Verfasser.

1 *

DEFINITIO.

Febris nervosa (Willisius), Typhus (Sauvages, Cullen, Reil), Febris putrida (Boerhave, Swieten, Quarin), Febris maligna (Stoll), Febris ataxica, s, atactica (Selle, Pinel), Febris nevropyra, s. asthenopyra (Swediauer), das Nervenfieber, rectius Febris nevropathica, Fieber mit Nervenleiden, est secundum P. FRANK: „Febris continua, quae ob causas, sensibus occultas, subtiliori principio agentes, et imprimis systemati nervoso infensas, accenditur."

Sed haec definitio est nimis generalis, nam omnes causae, quae febrim producunt, systemati nervoso infensae sunt.

Docente RICHTER absolvitur febris nervosa actione et reactione partium imminuta, debilitate et defectu actionis vitalis, utpote statu, inflammatorio e diametro opposito; — hac ratione vero omnis febris depascens et ipsa putrida esset nervosa.

Elucet ex hoc definitionum conflictu Auctorum de natura febris nervosae idearum discrepantia, quorum alii morbi essentiam in symptomatibus turbati systematis nervosi, alii in symptomatibus debilitatis invenisse putarunt. Rei propiores fuere, qui morbi focum in systema nervosum reposuerunt, arctiores

tamen limites ducere obliti sunt, dum alteri non perpenderunt, reale virium nervosarum robur diversimode infractum esse posse; non enim desunt febres, in quibus efficientia nervosa praeter normam incitata, vel saltem in liberis actionibus impedita apparet, quarum character essentialis igitur non est asthenia; dum e contrario occurrunt febres cum debilitate manifesta, quin systema nerveum eminenter patiatur, e. g. hecticae. Intima tantum organorum textura, viriumque organicarum informatio diversa, morbosas modificat metamorphoses, essentialem determinat morbi characterem, et congruae denominationis sistit cardinem.

Quum hic de febribus sermo esse non potest, quae radicantur in turbis systematis irritabilis, neque de illis, quae ex pessumdato systemate vegetativo prodeunt, nec de pyrexiis quarum sedes systema gangliare sistit, febris nevropathica illa erit febris, in qua systema nerveum altioris ordinis, systema utpote cerebrale et medullae spinalis, per eminentiam patitur.

DIVISIO.

Ut morbi theoria et medendi methodus rationalis condi possit, non sufficit novisse, quale systema eminenter patiatur, sed modus quoque pateat necesse est, quo vires vitales a norma aberrent. Ut ex pathologicis abunde patet, duplex existit virium nervosarum a calle flexus, supra nempe et infra roboris et celeritatis gradum, quae deviatio in casu primo Nevrostheniam in altero Nevrasthe-

niam producit. Cum nulla occurrit febris, quae vires nervosas ultra normae gradum elatas offeret, quin simul cordis et arteriarum actio intendatur, sua sponte liquet, hac in re febres nevrosthenicas cum inflammatoriis coincidere; tales febres essent omnes illae, quae cum inflammatione cujusdam organi nervis abundantis valdeque sensilis incederent, uti e.g. encephalitis, gastritis, diaphragmitis etc. quas cum eas describere hujus opusculi finis non sit, transeo.

N e v r a s t h e n i c a igitur febris illa erit nominanda, quae cum debilitate nervorum incedit. Haec debilitas autem varia esse potest; accidit interdum, ut actiones vitales nervorum languere videantur, quin veram vis jacturam passae sint, adest ita dicendo obstaculum aliquod, cui vincendo vires vitales sunt impares, et tali pacto in libera sua actione impediuntur hujus generis obstacula sunt omnes potentiae nocentes, quae irritabilitatem ultra modum augent, expansionem provocant, et aequalem principii vitalis in systemate nervoso distributionem cohibent — uti sunt: calor excessivus spirituosorum et narcoticorum abusus, contagia, phlogoses occultae in nevrilemate etc. Debilitas, quae ex his causis nascitur dicitur d e b i l i t a s s p u r i a, qua stipatur F e b r i s n e r v o s a s t u p i d a s. t y p h o s a.

Non apparens, sed realis vis vitalis defectus d e b i l i t a s v e r a audit, quae iterum duplex est, prouti nimirum ex defectu incitamentorum ad vitam necessariorum, vel vero ex stimulis justo fortius et diutius agentibus

proficiscitur. Quae ex incitamentorum vitalium subtractione oritur, robur quidem imminutum ostendit, intensam autam pedissequam habet sensilitatem, ut morbosa oriatur nervorum agilitas, maxima cum cupidine in stimulos, quae, languente reagendi facultate, reactiones provocat inordinatas, mox exhauriendas. Haec est debilitas directa qua stipatur Febris nervosa cum erethismo, s. Febris nervosa versatilis FRANKII.

Altera debilitatis verae species est debilitas indirecta, in qua non solummodo virium robur et reagendi facultas, sed etiam sensilitas pari passu languent, est igitur status, e diametro Nevrostheniae oppositus, cui pessimae innituntur febres, quae ad culmen suum elatae colliquativae, s. paralyticae audiunt. Inducitur hujus debilitatis species ac praecedens, iisdem potentiis nocivis, fortius tamen adhuc agentibus et diutius, uti sunt: excedens potus et nutrimenti defectus, stimuli fortissimi justo diutius agentes, et tali pacto energiam nervosam directe exhaurientes, venena fortissima, electricitas, sepseos gradus altus etc., unde quoque fit, ut non raro febris nervosa versatilis sub decursu in febrim transeat colliqualivam, perstante praesertim momento procatarctico.

Summe necessaria est haec distinctio febrium nervosarum medico practico, ut rationalem condere possit therapiam, sed nec suo in praxi destituitur valore divisio inter Febrim nervosam contagiosam, et non contagiosam. Prior propriam sistit

febris speciem, typhum nempe contagiosum; altera ut a priori distinguatur, Febris nervosa simplex, s. meraca dicitur. Exstincto charactere febris primario, haec solummodo stipatur nervoso - asthenico, quin tamen, praecipue sub decursu longiori, atque evoluto summo debilitatis gradu, a contagio immunis sit, ut igitur febris non contagiosae nomen sensu strictiori vix mereatur.

Quaenam sit Febris nervosa acutissima acuta et lenta, ex vocis sono facile depromitur. Quae intra nycthemeri spatium non raro aegrum trucidat, febris nervosa acutissima, maligna quoque vocatur, dum acuta, cujus decursus plerumque per quatuordecim durat dies, et lenta, quae non raro quadragesimum, imo quinquagesimum attingit diem minus infensae observantur. Febrium nervosarum distinctio in protopathicas et deuteropathicas, minoris momenti esse videtur, cum vere protopathicam febrim nervosam, seu talem, ubi nulla adfectione praegressa, post exacerbationem unam mox omnia evolvuntur signa, febrem nervosam indicantia, vix umquam compertam habemus.

FEBRIS NERVOSA STUPIDA.

Incipit haec febris cum magno virium languore, lassitudine et anorexia, oris siccitate, nausea, vomituritionibus imo vomitu ipso; cum temulentia, et stupida ad quaevis indifferentia. Pulsus hoc tempore vix est suppressus, sed frequens, non raro sat plenus observatur, ut, praesertim si, quod frequenter ob-

tingit, narium et faucium accedit phlogosis, pro inflammatorio facile habeatur morbo. In cute mox arida, mox viscido tecta sudore peticulae apparent sine levamine. Augetur, quae ab initio jam adfuit surditas, aurium tinnitus, stupor. Obturantur nares, fumo quasi nigricantes, dentes sedimento viscido, labia squamis bruneis teguntur; lingua est aridissima, tremens, saepius carnis crudae ad instar rubet. Tantalea nonnunquam sitis hinc inde nulla. Accedit diarrhoea, vesicae et ani sphincterum resolutio, et plumbea corporis gravitas. Quo debilior fit pulsus, eo magis deliria et stupor crescunt, sudores foetidi augentur et inscio aegro liquidae et foetidissimae secedunt faeces, non raro synchronus adest meteorismus, Peticulae lividum assumunt colorem aut nigrescentem (P. FRANK), sanguis solutus ex naribus aliisque viis profluit; pulsus fit exilissimus, inaequalis, respiratio difficilis; lypothymiae, sudores frigidi, convulsiones et mors tristem claudunt scenam.

FEBRIS NERVOSA VERSATILIS.

Maxima lassitudine, pusilanimitate, et morositate sese ab initio prodit hic morbus; nausea, vomituritio, sudores nocturni succedunt. Debilitas tanta adest, ut a motu quovis, vel jam a sola corporis erectione, animi inducantur deliquia. Pulsus est frequentissimus ut centum et plures ictus intra sexagesimam horae partem numerare liceat. Deliria interdum furiosa; pervigilia, phothophobia, cum maxima inquietudine corporis, aegrum moles-

tant. Screatio et sputatio adest frequens, manuum tremor, et tendinum saltus. Lingua ut plurimum sicca, cum siti pauca; respiratio anxia, suspiriosa, aut difficilis. Pertinax cutis siccitas, hinc inde sudor profusus, cum vario exanthemate. Frequenter post octavam diem maxima virium prostratio, leipothymiae frequentes, convulsio, sudores frigidi, viscidi, anxietas magna cum difficillima respiratione et mors improvisa superveniunt.

FEBRIS NERVOSA PARALYTICA.

Protinus haec febris cum priore coincidit, praesertim dum ex illa nascitur, aut ex eodem fonte ac illa prosilit. Omnes enim potentiae nocivae quae nevrastheniam producunt versatilem, si diutius perstant febrim paralyticam producere valent, exhauriendo quod in nervis viget sensilitatis principium, et tali modo debilitatem indirectam inducendo, ut igitur hoc in casu facultas percipiendi simul et reagendi pari modo langueant. Hujus febris symptomata praecipua sunt: Anodynia et anaesthesia universalis, sensus externi obtusi, dysopsia, surditas. Sopor profundus et mentis absentia, summa musculorum voluntariorum inertia, unde trunci instar aegri decumbunt, aut si accidit motus, summe est inordinatus, e quo tremor, alia, sphincterum resolutio, urinae et faecum aegris insciis secessus. Eodem modo irritabilitas arteriosa exstinguitur, ut pulsus parvus, inaequalis, intermittens abunde testatur. Collabitur vultus pallidus, fugax apparet genarum rubor, retrahuntur oculi languidi, nares fiunt

fuliginosae, acuminatur nasus, retrahitur labium superius, et totus adspectus alteratur eum in modum, ut qui semel viderit hoc morbo decumbentem, eum a procul jam divinare possit. Colliquationis denique symptomata, miseriae finem imponunt.

FEBRIS NERVOSA LENTA.

Distinguitur haec febris nervosa a prioribus vix nisi minoris vehementiae ratione, ac decursu tardigrado. Exordium illius tam mite est, ut plane nullius periculi esse videatur. Invadit praeprimis illos, qui sensiliores, pathematibus deprimentibus diutius vexantur, aut qui debiles, exhausti, justo nutrimento per longum tempus privantur; praeterea senes, infantes, scrofulosa, pituitosa, verminosa, aut alia labe cachectica notati, illa obnoxii observantur. Incipit cum digestionis turbis, cum ventriculi ardore, anorexia, corruptione acida. Alvus et tarda aut praeter morem laxa et profusa. Adest vertigo, occipitis dolor, dispnoea, oscitatio, cordis palpitatio, lassitudo, anxietas, et temperatura summe mutabilis. Pulsus est debilis, frequens, inaequalis, subinde contractus et durus. Increscit debilitas indies, et dolores quasi rheumatici hinc inde erumpunt. Lingua vix sicca, nec sitis tanta. Associunt se aurium tinnitus, phothophobia, tremores partiales vel universales, et deliria tacita. Pervigilium aegros molestat, aut oculis semiapertis procumbunt, et ob stupiditatem vel barycoiam lente respondent quaerentibus. Saliunt tendi-

nes, convelluntur membra, nec raro unius manus contractio observata est. Sub finem morbi diarrhoea aquosa exanthema, sudores viscidi, accedunt; augetur sopor et saltus tendinum, donec convulsiones vehementes mortem annunciant proximam.

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

Proëgumena.

Omnes infaustae vitae circumstantiae quibus exponuntur pro dolor! mortalium plurimi et quarum praecipuae sunt: paupertatis onus, nutrimenti justi defectus, morbi diuturni, praeprimis nervorum passiones, temperiei pravitates, inter quas calor excessivus palmam sibi praeripit, animi pathemata etc., tetro, de quo loquimur morbo praebent fundamentum. Non minus ad illum disponuntur subjecta effeminata, viribus exhausti, ganeones, ex morbo graviori convalescentes.

Procatarctica.

Delitescens morbi scintilla in flammam erumpit, si dispositos offendit potentia, quae modo directo vel indirecto systematis nervosi vim exhaurit; huc spectant: animi pathemata deprimentia, ira, tristitia, moeror, nostalgia, vigilia protracta, meditationes profundae; venena narcotica, contagia, imponderabilium in corpore accumulatio, aër pravus; abusus stimulorum. Quae systema nervosum per pessumdatam vitam plasticam, hinc indirecto modo adgrediuntur, talique pacto veram, mox di-

rectam mox inderectam debilitatem producunt, sunt: nutrimenti defectus, humorum nobilium jactura, diarrhoeae colliquativae, cachexiae variae, aër calens et humidus, paludosus, exanthema suppressum aut praecocius sanatum.

AGENDI RATIO.

Assumendo, quod ad gignendam febrim nervosam causa disponens et occasionalis concurrere debeat, et proëgumenon abnormem jam nervorum agilitatem, latentem ita dicendo debilitatem includat, omnino contendere licet, characterem, sive statum nervosum, sensu tamen latissimo ante febrim existere, praeprimis si potentia nocens, quae nervorum passiones produxit, sufficit ad febrem excitandam, alias concipi non posset, quomodo peaevio charactere nervoso, i. e praesente debilitate febris oriri possit, quum debilitas omnem excludit febris ideam. Ast tamen peregre accita est res, quum proëgumenon agilitatem quidem nervorum majorem, sive ut ita dicam receptivitatem illorum a potentiis nocivis adfici ita, ut prodeat nervorum asthenia, includat, nequaquam autem morbosam sistat debilitatem talem, qualis sub febris nervosae decursu observare licet. Nullatenus vero coexistentia febris cum debilitate nervosa negari potest, quae autem ex alio plane fonte proficiscitur. Viget enim in corporis penetralibus continuus nisus resarciendi amissum, nocivum expellendi, et metamorphosim abnormem exstinguendi. Ad haec perficienda accenditur febris non

nisi crisi aut morte delenda. Praeterea nil repugnat febris cum nevrasthenia coexistentiae, cum illa gangliare, haec vero cerebrale tenet systema. Ut igitur sub asthenia nunquam evolvatur febris.

Existunt nonnulli casus, in quibus, etiamsi non fuerit character nervosus secundarius nec tamen febris est primaria, sed potentiae nocentis, quae systematis nervosi provocavit turbas, sistit coefectum. Obtingit hoc in omni fere phlogosi visceris admodum sensilis, e. g. cerebri, pulmonum, cordis, diaphragmatis, ventriculi, in typho contagioso, in turbis venenis narcoticis inductis e. s. p. Multo tamen cerebrius latet ratio astheniae nervosae vel in fomite ipso febrim accendente, vel in metamorphosi abnormi, quam organismus sub decursu febris subit, inter quas pervicax cutis siccitas praecipuum meretur respectum, cui ut plurrimum febres typhosae suum debent originem. Inter tot enim munera, quibus fungitur cutis, hoc illi quoque incumbit, ut debitum servet inter corpus humanum et naturam externam commercium dynamicum, aequilibrium nempe imponderabilium (caloris et electricitatis) inter corpus, et aërem circumfluum. Ut hoc praestare possit, conditio illius semiconducens perquam necessaria est, ad quem finem perspirationis ope semper ad certum usque gradum inhumescat oportet, secus in isolatorem convertitur.

Quam primum igitur cutis isolatoris munus suscipit, quod per impeditam transpirationem et subsequam siccitatem omnino fit, necessario

modo imponderabilium, intra corporis limites extricatorum, accumulatio enasci debet, unde sanguinis volumen conspicue augetur, actio nervorum conducentium praepeditur, et tali pacto vis nervosae oppressio sive debilitas spuria in conspectum venit, quae, nisi exoneratio fit, vel vim nervosam plane abolet, vel in veram mutatur astheniam. Hoc quotidiana confirmat experientia, quum omnes febres, in quibus obstinate cutis sicca observatur, uti essent: febres catarrhosae exanthematicae, gastricae, biliosae, in characterem nervosum valde nitantur.

Alia est genesis febris nevrasthenicae versatilis, quae ex negativis proficiscitur stimulis, veraque stipatur debilitate, directa utpote. Deficientibus enim ad vitam necessariis stimulis, non tantum robur infringitur vitale sed etiam talis inducitur sensilitatis gradus, ut stimuli levissimi, homini ceteroquin sano fere indifferentes, jam morbosas cieant reactiones, quae ob languentem reagendi facultatem, ut facile intelligitur, summe inordinatos producunt motus; quid mirum, si sub talibus circumstantiis, praesertim febrili accedente motu (qui in tali debilitato subjecto inconsueta semper vehementia urgebit) symptomata in conspectum veniunt, quae febrim nervosam versatilem extra dubitationis aleam ponunt. Ne quis astheniam, hic loci primariam mihi objiciat, illam tantummodo proëgumenon esse moneo.

Si sub hujus febris decursu, quod non raro fit, vel ejusdem potentiae nocentis, quae

illam produxit, actione intensiore, una cum reagendi facultate, sensilitas quoque deletur, sive si vires nervosae, diu suppressae non liberantur, febris nascitur paralytica, ut igitur hujus origo, tam ex febri nervosa versatili, quam ex febri nervosa typhosa intelligatur. Producunt illam omnes stimuli vehementissimi diu continuati, qui sensilitatem modo indirecto, per subsequam nempe debilitatem exinaniunt, unde quoque debilitas indirecta audit Ut plurimum vero exorditur haec febris mutationibus morbosis, et mere accidentalibus, quas organismus in febris gratiam patitur, quae forent: animi perturbationes, pathemata deprimentia, liquatio, venaesectionum, evacuantium, et stimulantium abusus, diarrhoeae, haemorrhagiae excessivae etc. Pravam enim massae organicae conformationem et mixtionem non esse idoneam ad sustentandum robur vitale, quin imo celeri passu, quae adhuc superest vitae flammam delere nervorum, et vitam plasticam ad imum reducere gradum neminem fugiet.

CAUSA PROXIMA.

Difficultas, in morbo dynamico, qualis est febris nervosa causam eruendi proximam, ex eo sat elucet, quod mirae circa illam ab Auctoribus prolatae sint sententiae, non raro e diametro sibi oppositae, saepe cum ipsa morbi definitione haud collimantes.

RICHTER affirmat, causam proximam esse materiam febrilem nervos petentem, e qua oriri contendit symptomata debilitatis. Sed

cum febrilis materia organismi majorem reactionem producat, stimuli alieni elidendi causa, hanc, tamquam activa virium incitatio ab initio morbi saltem, debilitate stipari, verosimile haud est.

SÖMMERING fluidi nervei acrimoniam assumit qua morbi causam proximam; ast fluidi nervei existentia est problematica, nullo adhucdum argumento positivo probata. Praeterea nomen acrimoniae nil explicat, celandae potius rei ignorantiae inservit.

BROWN in asthenia causam proximam invenisse credit, quod nostris principiis de febris genesi plane contrarium est; dein prostant casus sanatae vi autocratica naturae febris nervosae; quomodo hoc in casu vires vitales, quae infensis invasionibus resistere nequiverunt, illis trucidandis suffecerunt?

BROUSSAIS causam proximam febris nervosae quaerit in gastro-enteritide, MARCUS et GÖDEN in encephalitide, nec desunt, quibus nevrilemitis causam sistat proximam. Sed haec omnia cadaverum sectio ut plurimum refutat. Si tamen horum quid repertum sit, id effectus secundarius debilitatis potius est quam causa proxima

Ut igitur causa proxima pro causarum excitantium diversitate, modo suppressa, modo inaequaliter distributa vel plane languens efficientia nervosa sit, e praegressis cuivis liquet.

THERAPIA FEBRIS NERVOSAE.

Pro varia morbi modificatione therapiam variare, haud monere censeo; ita ut alia sit in febri nervosa, quae stipatur debilitate fictitia, alia, cui comes it debilitas directa, alia tandem in febre cum debilitate indirecta.

Innitatur vero, ut rationalis nomen mereatur therapia, indicationibus ex morbi naturae depromtis, ut cuilibet adcommodata propinentur casui pharmaca. Prosequendo hoc filum, sequentes sese nobis obtrudunt in febri nervosa indicationes, primo: causam, morbum producentem aut sustinentem amovere; secundo, ad callem normalem reducere vires vitales. Rarissime primae indicationi satisfieri potest, quum saepius causa sit ignota, vel quamvis nota, amoveri non amplius possit, et tandem abacta interdum posthuma relinquat, plenam medici adtentionem deposcentia. — Facilius deviatis occurrimus viribus, quamquam et hae non raro medicorum expertissimorum conatibus illudunt, quominus ex orci faucibus aeger possit eripi.

In febribus igitur typhosis, ubi maxima vires liberandi urget necessitas, venaesectiones, emetica, vesicantia, et lotiones frigidae, maximum merentur respectum.

Ne negligantur venaesectiones in febribus nervosis, quae comitantur cum locali cujusdam visceris nobilis inflammatione, aut ubi conspicuus plethorae adest status, praeprimis monendum; secus evolvuntur symptomata, vis nervosae summam prostrationem indican-

tia, quae quidem veram nondum indicant debilitatem, ast sub decursu haud raro illi patrocinantur. In tali casu semper larga sit venaesectio, qro re nata repetenda.

Emetica similem in febribus gastricis quae nevrastheniam minantur effectum, ac sanguinis detractio in phlogisticis praebent; non raro hoc in casu protinus dissipatur character nervosus, quod interdum spontaneo quoque fit vomitu. Tardiorem effectum praestant cathartica, cum plerumque aliquid de nocivis resorbeatur, et tunc in secundis viis pertinacius haereat. Acida expansionem nimiam moderant et bilem corrigunt, hinc conveniunt in febri biliosa, nevrastheniam sive sit minans sive non.

Lotiones frigidae isolantem cutis conditionem tollunt, et illam in semiconducentem convertunt, quo fit, ut principiis imponderabilibus intra corporis limites coacervatis exitus pateat liber, et aequipondium inter corpus humanum, et naturam illud ambientem restituatur. Sat cito id quoque praestant vesicantia; Hinc utraque methodus optatissima in febribus catarrhosis, exanthematicis, gastricis, biliosis, ad delendum characterem nervosum inchoantem, utpote quae, ut supra dictum fuit cum pertinaci cutis siccitate incedunt.

Ceteram curae paginam absolvunt n e r v i n a cum summa tamen cautella exhibita, ne arteriarum vis exstimuletur, et orgasmus producatur. Praecipuam hoc respectu laudem merentur C a m p h o r a, M o s c h u s, et A m m o-

nia ita exhibita, ut praescribatur Camphora sub pulsu exili, debili atque molli a scrupulo ad drachmam usque. Moschus vero sub pulsu contracto, duriusculo, et irregulari a dimidio ad integrum scrupulum, majorique pondere; alkali autem volatile sub pulsu tremulo, inaequali, intermittente, sed molli. P. FRANK.

In nevrasthenia erethistica, hinc in febri nervosa versatili, stimulantia diffusibilia ad vires nervosas erigendas optatum praestant effectum, nupta cum roborantibus. Inter quae eminent: Camphora, chamomilla, melissa, valeriana, castoreum, spiritus cornu cervi, copulata cum extractis amaro-aromaticis, gentianae, absynthii, corticis peruviani etc. Elixiria acido-aromatica et tincturae martiales suo tempore adhibita, haud exiguum adferunt levamen. Erigitur vis vitalis sinapismorum et cantharidum ope, in quorum administratione curandum, ne cutem exulcerent, et ob stimulum protractum, in quo potentius irritant loco, gangraena inducatur.

Haec omnia vero vix sufficiunt in febri nervosa paralytica quum in hac tanta sit virium debilitas, ut stimuli fortissimi debilem tantum provocent reactionem. Acutiora hinc arma seligenda erunt, ad pertinacem hunc hostem truncandum, quae praebent stimulantia acria cum generosiori stimulantium diffusibilium dosi nupta, uti sunt: angelica, imperatoria, serpentaria virginiana, cinamomum, cascarilla, nux moschata, tincturae spirituoso-aromaticae vinum, castoreum, moschus. Ar-

nica, cujus virtutem P. FRANK nullis extollit laudibus, aliis ad amussim satisfecit, praeprimis in illis casibus, ubi suspicio de passiva humorum congerie in encephalo adfuit.

Acida mineralia cum alcohole et naphtae vires nervosas cito restaurant, sed, quum eorum effectus mox evanescit saepius exhibeantur oportet. Similes virtutes exerit vinum generosum, sub cujus usu tamen vigilioris irritabilitatis arteriosae desint signa moneo. Alcali volatile, spiritus cornu cervi et moschus multum valent in illis casibus ubi character nervosus altioris gradus evolutus est, nec non in asthenia ob exanthema repressum.

CURA SYMPTOMATUM.

Cohors symptomatum in febri nervosa urgentium specialem non raro exposcit curam. Vomitus effrenis haustu antiemetico, ut plurimum sistitur; diarrhoeae exhaurienti opponatur cortex peruvianus, cataplasma super abdomen, vinum rubrum, radix colombo, catechu, vel opium. Dolores atroces in abdomine, si ex visceris inflammatione procedunt, venaesectione, aut hirudinibus, cataplasmatibus anodynis, et linimento volatili leniuntur. Delirium, dolor capitis atrox, et agrypnia, opio, aut si ex sanguinis congestione ad caput oriuntur, derivantibus cedunt. Haemorrhagia rebellis cortice, alumine, acido, et frigore debellanda. Sudores colliquativi athmosphaera frigida, stragulis levibus, acidisque compescuntur. Dysu-

ria emulsionibus opiatis, ischuria cathetere tollitur. Decubitus frequente aegri in aliam partem conversione munditie summa, vel frictione cum linimento ex albumine ovi cum spiritu vini parato vel cerussa praecavetur et sanatur. Meteorismus evanescit pro varia originis causa mox evacuando, mox roborando, sanguinem educendo, emollientibus fomentationibus. Aphthae ad fauces vel in oris cavo adparentes blandum oris balneum, vel applicationem boracis aut vitrioli albi solutionis cum melle exigunt.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Discrimen inter febrin nervosam typhosam et febrim nervosam paralyticam non nisi in maximum aegrorum detrimentum negligitur.

II.

Nulla existit nevrasthenia primaria in febribus.

III.

Ignorantiam produnt crassam, qui theoriam spernunt cunctam.

IV.

Nux vomica in blennorrhoea urethrali specificum.

V.

In morbo graviori nunquam cura symptomatica negligenda.

VI.

Neglecta educatio physica multorum morborum fons.

VII.

Exigua inter agyrtam, et medicum empyricum differentia.

VIII.

Medicamina evacuantia medicinae fundamentum sistunt.

IX.

Raro sanabit medicus, qui compati nescit.